



COLLOQUIVM QVINTVM

Persōnae: Iūlius, Dāvus, Mēdus

In oppidō Tūsculō magnum forum est. In forō est templum antiquum. Iūlius in forō est cum quattuor servīs, neque Mēdus in īis est.

Ubi est Mēdus? Mēdus quoque in oppidō Tūsculō est, neque is in forō est cum dominō, sed sine dominō in templō. Mēdus sōlus est in magnō templō vacuō. Quid agit servus Iūlii in templō? Nummōs numerat.

Mēdus: “Quot nummī sunt in sacculō meō? Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem, decem..... nōnāgintā. Ecce nōnāgintā nummī: magna pecūnia mea est!”

“...mea est!” respondet templum vacuum.

Mēdus: “Quid? Num dominus adest?”

“...adest” respondet templum vacuum.

Sed sōlus est servus in templō. Nūllus dominus verba eius audit.

Nōn in templō, sed in forō est Iūlius. Quid agit Iūlius in forō

Tūsculānō? Dominus servum suum quaerit.

Iūlius imperat: “Quaere Mēdum, Dāve!”

Dāvus: “Ubi?”

Iūlius: “Quaere eum in templō!”

quaerit: "look for; seek"

Dāvus ab Iūliō discēdit.

Iam Dāvus in templō est et Mēdum quaerit.

Dāvus Mēdum in templō videt.

Dāvus: “Ō Mēde...!”

Mēdus: “St, tacē, Dāve! Tacē et discēde!”

Dāvus: “Dominus in oppidō est et tē quaerit.

Irātus est dominus.”

Mēdus: “Mēne quaerit dominus? Cūr mē quaerit?”

Dāvus: “Quia nummī eius in sacculō tuō sunt!

Dominus nummōs suos quaerit.”

Mēdus: “Iūlius meus dominus iam nōn est. Neque nummī eius in sacculō meō sunt.”

Dāvus: “Ō improbe serve!”

Mēdus: “Age, discēde, Dāve — et tacē! Improbus est servus qui servum accūsāt.”

Dāvus tacet, neque ab eō discēdit.

Mēdus ex sacculō suō sūmit duōs nummōs.

Mēdus: “Ecce nummī tuī, probe serve!”

Dāvus: “Nōn meī sunt nummī, neque tuī, sed Iūlii sunt.”

Dāvus nummōs nōn sūmit, et sōlus discēdit ex templō.

In forō Iūlius Dāvum interrogat: “Estne Mēdus in templō?”

Dāvus tacet.

Iūlius: “Respondē, Dāve! In templōne est servus meus?”

templō-ne...?

Dāvus respondet: “In templō est... servus tuus nūllus. (Mēdus

servus tuus iam nōn est!)”

Iūlius, qui prima tantum verba Dāvī audit, ex oppidō discēdit

sine Mēdō.

Mēdus sine dominō ex oppidō discēdit.

